

à causis moderatis inter se pugnantibus, nam assurgente uapore ex alimenti concoctione somnus A obrepit, quem interrupit cogitatio, capitis calor, lux, strepitus, & alia quæ calidum innatum euocant, vigiliamq; pariunt. Reprehendendus eset nō solum in causis, sed etiam in signis, & curatione Actius: nam ille pronunciat coma fieri, solum in accessionis initio, nulla alia addita causa: & signa ponit, quæ nec ei comati de qua agit, competit, aut certè non solum coma, sed etiam coniunctum cum eo delirium declarant. Remedia verò quæ ille describit, nec omnibus comatosis competere possunt, nec sufficiunt ad aliquam illius speciem curandam: sed hoc tractare nunc non est nostri negotij.

*De Cataphora. Cap. XXXIII.*



A T A P H O R A M , & coma idem esse, antea ex Hippocrate, & Galeno ostendimus, non solum quod illi id aperte testentur, sed etiam quod in utroq; affectu easdem causas ponant. Nam apud Galenum est repertum, cataphoram committi in principio accessionis febrium, nec non ob pituitosum humorem in cerebro aceruatum, vel ob frigiditatem solam, vel ob multitudinem utilis, vel superflui humoris: à quibus quidem causis antea diximus coma fieri, præsertim illud quod profundos habet somnos: hoc enim potissimum intelligere ille videtur, cum cataphoræ causas tradit, non autem eam, quæ sopores omnes comprehendit, in quibus homo in somnum inclinat, & Græcè significantius dicam, καταφέται. Usurpat aliquando cataphoram idem author, pro lethargo, aut specie quadam soporis, cum quo febris est conjuncta, ut libro vndeclimo de Simplicibus medicamentis ubi hæc scribit: febris quæ est in cataphoris, est veluti tepida: neque enim omnis cataphora cum febre est, sed soporosus affectus, qui cum febre consistit, lethargus nuncupari solet,

*De Caro. Cap. XXV.*



A R I nomen καρπος, idest caput, quod sit capitidis granitas, vel quod capitidis sit malum, vel à verbo καρπωμα quod est aggrauor, capite sum attonus, recte deducitur. Caron id est esse, qd Subeth Arabibus, scribit Grammaticus Tubingensis. sed nulla ratione. Nā Subeth non minus coma, & cataphoram, quam Caron significat: est enim cōc nomen soporis affectibus, non peculiare ut Caron. Actius peperam ex Posidonio Caron definit esse, sensuum, vniuersarumque motionum priuationem, cum principum facultatum nocumento, & febre lenta. neque enim febris omnem Caron comitatur: constat autem ex Galeno magnam fuisse apud antiquos de hoc nomine, & alijs, quibus soporosos affectus significantur, cōrrouersum: quo fit, ut quum nunc hos, nunc illos diuerfis in locis sequitur, lectori confusionem parat: etenim libro tertio de Temperamentis definit Caron esse vitium frigidum: in libro vero de Differentijs symptomatum, ait esse symptoma imaginatricis facultatis, nempe veluti quandam illius resolutionem: scribit etiam in libris de Locis affectis, in omni caroso affectu, corpus neque sentire, neque moueri, ferunt D tamen respirationem: quod falsum esse agnoscitur, si ex vini potionē aliquando nascitur, aut ex vehementi dolore, ut ille alibi tradit. Addo quod vigesimo nono textu secundi commentarij Prorrheticorum ita ad verbum scribit. Quum cerebrum ob pituitam humectatur, refrigeraturque per lethargicas affectiones, coma fit: quod & ipsum si lubet Caron appellare poteris: sunt qui Caron vocet ubi æger, tum motu, tum sensu tempore aliquo priuatur, etiam si vel stirnules, vel ferias: qualis affectus visitur nonnunquam per magnas contusiones & vulnera muscularum temporalium: nonnunquam etiam in accessionum initio. Si ergo affectum huiusmodi quis Caron vocauerit, difficulter excitatu constitutionem coma, vel cataphoram, tertium ab his somnum profundum, qualis in ebrijs fit, nunquam coma, vel caros bona erunt. Hæc Galenus, ex quo loco satis constat, quod diximus, cum hæc nomina confundere, quum coma, & Caron idem aliquando esse velit, aliquando inter se discrepare: aliquando ut in Prorrheticis, Caron uelit comprehendere somnum non morbosum, qualis fit in ebrijs, quem somnum loco præcipito profundum, & non Caron esse statuit, hanc eandem confusionem ostendit in enarratione causarum. Ait enim Caron fieri, à fortibus iactibus capitidis, à frigidis causis, ab initio accessionum, item ob affectum temporalium muscularum, vel osse quopiam perforato, ventriculoq; medio cerebri attrito, nec non ob uchementes dolores, & in acutis morbis: præterea ob affectum muscularum oculi, & vim potionem, ac hyosciami usum, Caron nasci refert, quæ quidem cause aut omnes, aut certè plurimæ eadem sunt cum illis, quas de co mate, & cataphora tradit, aut non eundem affectum parere possunt, quandoquidem quædam leuissimæ sunt, aliae uero grauißimæ, nec eum locum ostendere possunt, quem in huiusmodi mali laborare ille scribit.

D